

## Bibliographische Daten

**Titel:** Philippo Melanthoni Sacrarum|| Literarum Solertiss. Et Fideliss. Explicatori, Veritatis|| Coelestis Patrono In Primis Strenuo, Opt. Disciplinarum Et Artium|| cum instauratori, tum conservatori: Qui omnem doctrinam quasi vagam & dissipatam collegit, & ad|| certam rationem revocavit: Viro pietate, studio purae religionis, sapientia, virtute, humanitate, benignitate erga omnes praestanti, feliciter & sancte mortuo XIII. Cl. Maii, cum vixisset|| Annos LXIII. M. 11. D. 11. H. 1. Academia Vviteberg. cui ille totis an. XLII.|| operam navasset  
H. M. P. C.

**Ersteller:** Joachim Camerarius

**Signatur:** 4 an Strob. 8. 1858


Die Nutzung der Digitalisate von gemeinfreien Werken aus den Sammlungen der Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg ist gemäß den Bedingungen der [Creative-Commons-Lizenz Public Domain Mark 1.0](#) uneingeschränkt und kostenfrei erlaubt.

Im Sinne guter wissenschaftlicher Praxis wird gebeten, bei der Verwendung von durch die Stadtbibliothek im Bildungscampus überlassenen Digitalisaten stets die Quellenangabe in folgender Form zu verwenden: Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg, [Bestandssignatur + Blatt/Seite]

Im Interesse einer laufenden Dokumentation und der Information für Benutzerinnen und Benutzer erbittet die Stadtbibliothek die Überlassung von Belegexemplaren oder Sonderdrucken von Veröffentlichungen, die aus der Benutzung von Handschriften und anderen Medien in den historischen Sammlungen der Stadtbibliothek hervorgegangen sind. Sollte eine Abgabe nicht möglich sein, wird um Mitteilung der bibliographischen Daten der Publikation gebeten.

4.


**PHILIPPO MELANTHONI SACRARVM  
LITERARVM SOLERTISS. ET FIDELISS. EXPLICATORI, VERITATIS  
COELESTIS PATRONO IN PRIMIS STRENO, OPT. DISCIPLINARVM ET ARTIVM  
cūm instauratori, tūm conseruatori: Qui omnem doctrinam quasi uagam & dissipatam collegit, & ad  
certam rationem reuocauit: Viro pietate, studio puræ religionis, sapientia, uirtute, humanitate,  
benignitate erga omnes præstanti, feliciter & sanctè mortuo XIII. Cl. Maij, cum uixisset  
Annos LXIII. M. II. D. II. H. I. Academia Vuiteberg. cui ille totis An. XLII.  
operam nauasset H. M. P. C.**



**V**itam, fortunæq; suas, studiumq; laboris,  
Qui operæ sanctam, consilijq; fidem,  
Impendit diuina tuis Ecclesia rebus,  
Teq; pius uaria iuuat & auxit ope:  
Hæc in parte sibi post mortem structa Melancthon  
Communi in luctu busta Philippus habet,  
Quæ templi foribus magni uicina Lutheri  
E regione solum quod tegit ossa, uidet.  
Bretta hunc uitales natum produxit in oras,  
Bretta Palatini limes amœnus agri.  
Vnde propinqua petens adijt bonitate suorum  
Diuerso Aönidum templa sacra loco.  
Ludus eum puerum accepit Phorcenidos urbis,  
Eytelpergiaci mox schola gymnasiij.  
Doctrinæ hinc fecit iuuenem alma Tubinga Magistrū,  
Eximium laudis gessit ubi ille decus.  
Inde triumphator Monachorum Capnio iussit  
Albidos hunc ripam uisere Saxonici.  
Tunc noua dux Fridericus ubi collegia Musis,  
Romani fundans ensifer imperij,  
Vndiq; conductis præstanti laude parabat  
Artis & ingenij reddere clara uiris.  
Hic socio ipso annis uiginti octoq; Lutheri  
Vuittembergiæ res fuit ampla scholæ.  
Quam septem bis adhuc prouexit deinde gubernans  
Fluctiuagam ut uastum per mare nauta ratem.  
Heu tempestates quas hic perpeffus, & ad quàm  
Sæuos hæc scopulos acta carina fuit.

Quantum externi odij, quantum inuidiæq; suorum,  
Ingratorum hominum quæ maledicta tulit:  
Ipse tamen quamuis resantibus undiq; uentis  
Directum est retinens uera, secutus iter.  
Fortia nec clamor latrantis pectora turbæ,  
Nec uulgus strepitu mouit inane suo.  
Summa petit liuor, Nemo hunc superare nisi ipse  
Possit, si studijs ocia suppeterent.  
Ista sub obliquo norunt quoq; Sole locati,  
Quicq; sub opposito forsitan axe iacent.  
Scripta sed illius memorabilia inter, & acta  
Plurima, quæ solidæ nomina laudis habent:  
Vnum opus eximium est, fidei confessio sanctæ,  
Ante tuos Cæsar Carole lecta pedes,  
Languida qua Christi iam dudum Ecclesia nitens,  
Rursum audet uultus tollere læta suos,  
Concurrant inimici omnes licet undiq;, hic unus  
Confutare potest dogmata falsa liber.  
Ac tua nunc terris floret bona fama Philippe,  
Viuit & æternum Spiritus ante Deum.  
Corpus at exanimum tumulo hoc requiescit humatum,  
Condecorant gratæ quem monumenta scolæ:  
Ille quod expletis senio, curisq; grauatum,  
Sexaginta annis exiit atq; tribus:  
Sic, morbo ut paucis nisi debilitante diebus,  
Muneris officium fecerit omne sui.  
Atq; olim æthereas ueniet reuocatus in auras,  
Integer & mortis liber abinde metu.  
Sanctè uir, & salue pater optime, te tua semper  
Nos soboles merita relligione colet,  
Doctrinæ nobis ueræ tu doctor & autor,  
Hæc, tua, claræ ætas munera lucis habet.  
Salue iterum, atq; iterum tua nos immota manebit  
Semper apud memores gloria, nomen, honos,

Ioachimus Camerarius.



**VVITEBERGAE EXCVDEBAT  
Laurentius Schuenck.**

1561.